

*Goswino de Hueuen alias de Arn-
bem* Doctore in Medicina et Ca-
nonico B. *Mariae Traiectensis su-
perior*. reservato tamen usu sibi et
Fratri suo *Johanni* pariter M. D.
et Pastori in *Hamont Leod.* Dioec.
quin facultate revocandi donum;
quod et fecit propria manu subji-
ciendo: *Placuit ut liber prefatus
perpetuo maneret in facultate theo-
logica Vniuersitatis studij Wyen.*
Itaque ex testamento M. *Johannis
Selingstat* M. D. qui Facultati no-
strati Medicae a. 1493. nonum
Decanus praefuit, traditus est ad
*Librariam Collegij Ducalis ex op-
posito Fratrum Predicatorum* a.
1495. ab *Joh. Harrer de Heil-
brun* S. T. D. et Academiae no-
strae quater Rectore, ut pluribus
Codex in anteriore Theca.

DLXXII.

R. 2026 Codex membraneus lat. Sec.
XIII. Folior. 151. 4. min. per
duas columnas pulcre scriptus,
minio distinctus, et prius *Fratrum
cartusiensium in solitudine degenci-
um in domo porte Beatissime sem-
per Virginis Marie in Axpach sita
in Prouincia archiducatus Austriae
(inferior.) prope Danubium inter
montes in silua*, ita orditur: *Incipit
prologus Breuiloquii Sancti bo-
naeuenture Ordinis fratrum mino-
rum doctoris Seraphici atque che-
rubici.* Tardius accessit haec Rub-
rica; Exemplum enim ipsum vivo
fortassis Autore, qui annum 1274.
supremum habuit, descriptum fuit.
Ejus initium est: *Flecto Genua
mea ad patrem domini nostri ihesu*

christi &c. Pluries jam retuli hanc
Επιτομην totius Theologiae, quae
T. VI. *Opp.* Edit. *Lugd.* 1668.
p. 5. praesto est. In praesenti Co-
dice postrema Membrana excidit,
unde a verbis c. ult. *gaudebunt to-
to corde, tota mente, tota anima,
ut — — — cetera* in charta tar-
dus subpleta sunt; adiecta item a-
lia carpta ex *Augustino, Gersono,
Bonaventura, Benedicto &c.* Afce-
tica, praecipue de Humilitate,
quibus immorari operae pretium
haud videtur; observandum solum-
modo, *Gersonem* primum fuisse,
qui *Bonaventurae* etiam *Cberubici*
titulum indidit in Epistola de *E-
jus Laudibus*, quae T. III. Edit.
Dupin. P. 2. a p. 741. inter alias
habetur.

DLXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3074
XIV. Folior. 170. f. min. per
duas columnas scriptus, rubricis
distinctus, et olim *Monasterii San-
cte Dorothee in vienna* complecti-
tur haec. I. *Breuiloquium Bone-
uenture.* Extat illud, ut paullo ante
indicavi, in edit. *Opp. Lugd.* 1668.
T. VI. p. 5. f. et incipit: *Flecto
genua mea ad patrem Domini no-
stri &c.* saepius a me relatum. Ad
calcem: *Laus tibi sit christe, quo-
niam liber explicit iste. Explicit li-
ber Breuiloquii boneuenture per
manus duorum (quorum tamen cha-
racterem aegre distinguas) Qui di-
uiditur in VII. partes. Anno Do-
mini M° CCC° LXXXV°.* Jam
*Scriptor cessa, nam (quoniam?) ma-
nus est tibi fessa.*

II. fol. 68. p. 2. Collatio brevis in consecratione clericorum. Levis momenti et incipiens: Tu uero uigila, in omnibus labora &c.

III. fol. 70. Notae chronologicae ejusmodi: Anno domini Millesimo C. ordo cisterciensium cepit. Anno Domini MCCVI. ordo predicatorum cepit esse. Anno Domini MCCXVI. ordo minorum cepit esse. Anno Domini MCXLI. Ducatus Bohemorum mutatus est in regnum a Friderico Imperatore. Eodem anno Marchionatus Austriae mutatus est in Ducatum. Anno Domini MCCXL. flagellatores surrexerunt. Anno Domini MCCLXXII. Rudolfus comes de Babzurg ad romanum imperium eligitur. Anno Domini MCCLXXVI. idem rex Rudolfus obtinuit Austriam. Anno Domini MCCLXXVIII. feria sexta hora nona VII. kal. Septembr. idem Rudolfus occidit Othakarum regem Bohemorum. Anno Domini MCCXLIII. Richardus rex Anglie a duce leopoldo captus est in austria. Anno Domini MCCCL. fuerunt flagellatores. Non omnia sincera v. g. Richardi captivitas in Decembrem a. 1192. incidit.

Abhinc sequuntur Documenta ad famosam Controversiam inter Johannem XXII. et quosdam de Ordine Minorum circa altissimam Christi et Apostolorum Paupertatem, de qua videri possunt Raynaldus in *Annal. Eccl.* Waddingus in *Annalib. O. M.* et Baluzius in *Vitis Papar. Avenionens.* 1) *Ista est sententia que continetur in constitutionibus pape Johannis XX-*

II

II. de paupertate christi, et est contra duos minores hereticos Avinionone combustos Anno Domini MCCCLIV. feria III. proxima post festum penthecosten. Sed nihil sequitur. 2) Sententia F. Hervaei Natalis Magistri O. P. in eodem negotio, cujus hae sunt Censurae: *Afferere Christum et eius Apostolos non habuisse ius utendi in rebus quibus usi sunt, simpliciter hereticum iudico. Afferere etiam ipsos non habuisse ius et dominium saltem in communi in rebus, quarum usus est consumptio earundem, et quibus usi sunt, simpliciter hereticum iudico. Afferere etiam ipsos non habuisse ius et dominium predicto modo in rebus, quas emendo et vendendo commutauerunt per se, et quas nomine suo dederunt alijs, hereticum reputo. Nihil de hoc in Scriptt. Ord. Praed.* 3) Decretum Capituli generalis O. M. Parisiis celebrati sub Michaele Caesenate Ministro generali, cujus haec sententia: *Dicere et afferere, quod Christus — et Apostoli — nihil iure proprietatis, iure dominij seu proprii in communi habuerint, non est hereticum. Ad quod firmandum variaae Constitutiones Pontificum et ipsius Johannis XXII. adducuntur, damnatur tamen sub finem Adfertio: Christum et eius apostolos in hijs que habuisse leguntur, tantum absque iure aliquo simplicem usum facti habuisse, cum addito: Ex quo si verum esset sequeretur, usum christum non habuisse iustum, quod profecto blasphemiam continet &c.* 4) *Confessio pauperum obseruantie de altissima*

*altissima paupertate tempore pape
Johannis XXII. five Examen eorum
per quaestiones in hunc modum:
Primo inquirimur, si papam
Johannem credimus esse uerum caput
et Rectorem sancte ecclesie,
et habere potestatem, quam habuit
Beatus Petrus. Respondemus,
quod credimus, quod credit sancta
ecclesia. Hoc effugio non semel
utuntur, ceterum de iis, quae Pa-
pa in eorum Ordinem possit, au-
dacter responfant. Interrogati, an
credant F. Petrum Johannis Oli-
vi, e cujus doctrina Begardi et
Fratricelli propullulasse perhiben-
tur, fidelem et catholicum et glo-
riosum in paradyso? Reponunt:
Credimus sanctum petrum Johan-
nis fidelem et catholicum et glo-
riosum in paradyso, licet nondum
canonizatum ab ecclesia. Examini
subditur: Supradicti sunt articuli
propter quos fratres minores et
pauperes ewangelici fuerunt com-
busti et martirizati in prouincia,
in aquitania et cathalonia et pluribus
alijs locis. Modo, secuntur nomi-
na et loca centum et XIII. combu-
storum. Verum Librarius ea prae-
termisit. 5) Professio Fidei: Ego
frater Jo. de Arquata (Territorii
Anconitani, aut Patavini?) christi
pauper et seruus inutilis ante omnia
dico et protestor me firmiter cre-
dere et tenere et obseruare uolo
perpetue illa fide katbolica, quam*

*ecclesia Romana et apostolica, que
mater est omnium fidelium et ma-
gistra credit &c. Mox de altissima
paupertate Christi et Apostolo-
rum, et Regula S. Francisci, tum
vero Johannem XXII. vixisse et
obiisse ait perfidum et pertinacem
hereticum, ejus IV. Constitutiones
Statuta vocat hereticalia, iisdem-
que diris devovet Benedictum
XII. Clementem VI. et Innocen-
tium VI. Non igitur scripta haec
post a. 1362. quo Innocentius ex-
cessit. Atque hanc Συλλογην nuspi-
am vidisse me meminini typis excu-
sam.*

IV. fol. 73. p. 2. Incipit liber
*de itinere. Dic: de Itineribus Ae-
ternitatis D. Bonaventurae. Initi-
um: Eum qui uenit ad me non ei-
ciam foras &c. Ut T. VII. Opp.
supracit. p. 135. Ad calcem In-
dex, et: Explicit hoc totum, in-
funde, da mihi (potum?) num-
mum. Amen dicamus, ut cum Chri-
sto maneamus &c. punth. Id est
Bundschub. Proverbium jocularare
Vulgi nostri.*

V. fol. 150. Incipit liber beati
*Augustini de Spiritu et Anima. Ini-
tium: Quoniam dictum est mihi,
ut me ipsum cognoscam &c. Ad
Alcherum monachum Cistercien-
sem referunt Mauriani, ut videre
est in Append. T. VI. col. 35. Ad
calcem: Finito Libro sit Laus et
gloria Christo. Dein:*

Finiui librum. Scripsi sine manibus ipsum.

Tò sine manibus torfit quosdam,
qui versum hunc apud Praedica-
tores ad S. Marcum Florentiae

Libello Alberti M. de Homine
Dordraci olim a. 1445. subiectum
invenerant, suspicatos, esse for-

fan ἀνύμω Typographi artem suam occultare volentis, atque a deo Libellum illum non manu scriptum, sed impressum esse. Sed enim, quod vel Profodia docere poterat, sine manibus hic allusio est ad Virgilianum illud: *Quisque suos patimur manes*, nihilque vult aliud, quam Textum sine naevis exaratum esse, ut pluribus dixi in Miscellis meis vernaculis seu *Le-sefrüchte* 1797. 8. editis P. I. p. 44.

DLXXIV.

R. 3128 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 60. 4. per duas columnas non una manu et primum minutius exaratus, rubro distinctus et olim *monasterij canonicorum regularium ordinis S. Augustini ad S. Dorotheam wienne* continet I. *Breviloquium D. Bonaventurae*, prout habetur Edit. *Lugd. Opp.* 1668. T. VI. p. 5. et init: *Fleto genua mea ad patrem domini nostri ihesu christi &c.* A quibus verbis cum etiam ejus *Soliloquium* ineat, cavenda est confusio. *Breviloquium* nostrum dogmaticum est et didacticum; *Soliloquium* vero mysticum et affectivum, praeterea Dialogo inter Animam et Hominem scriptum.

II. a fol. 31. ad finem Codicis habentur Conceptus praedicabiles, seu Notata homiletica de diversis Materiis moralibus, quorum priora certis per annum Festis ad commodata sunt, puta de *Assumptione*, *Annunciatione*, *Natiuitate beate virginis*, *Epiphania &c.*

Posteriora, eaque plura, quaquaversum evagantur, v. g. *de die Judicij*, *Quod multi dampnantur et pauci saluantur*, *De duodecim condicionibus creaturarum*, *De decem beneficijs que nobis christus contulit per incarnationem suam*, et ita passim numerica.

DLXXV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 110 XV. Folior. 159. 4. partim lineis longis, partim per duas columnas a diversis exaratus, minioque distinctus I. titulum praefert: *Incipit brevilloquium*. Nempe *Bonaventurae O. M. Card. Scriptoris Sec. XIII.* Initium: *Fleto genua mea ad patrem domini nostri ihesu christi &c.* Divisum est dogmaticum istud Compendium in VII. *Partes*, earumque *Capita*, ut in Edit. *Opp. omn. Lugd.* 1668. T. VI. p. 5. quacum Exemplum praesens satis consonat, si demas *Prooemii* finem, qui in Edit. est: *et septuaginta duobus capitulis distinguuntur*; in Codice vero procurrit multo longius omnium *Partium* et *Capitulorum* sistendo Titulos, qui cum alioquin ante *Partes* et *Capitula* fingillatim habeantur, hic consulto ab Editoribus omitti videntur. Elocutio saepe variat. Finis Opusculi: *donec intrem in gaudium dei mei qui est trinus &c.*

II. fol. 64. Opusculum alterum, quod ἀνέκρυψατος incipit: *Postulat a me uestra dilectio, ut de Articulis fidei et ecclesie sacramentis aliqua uobis compendiose pro memoriali transcriberem &c.* Est ve-